

dit Petrum, quia gladio percussit, per quod executio potestatis temporalis designatur; sed non reprehendit, quod gladium haberet; ymo mandavit, quod gubernaret tamquam suum, dicens^{11a)}: 'Repone gladium tuum in vaginam'; de hoc supradictum est capitulo CVIIIⁱ⁾. Ad decimum est dicendum¹²⁾ quod papa potest ligiptimare ubique. Unde^{k)} dicit Vicentius in Speculo¹³⁾, ubi agitur de Ottone quarto, quod Philipus rex Franchorum habens uxorem filiam regis Danorum ex concubina genuit filium, qui dictus est^{l)} Philipus, quem papa ligiptimavit, qui fuit avus beati Lodovici regis Franchorum¹⁴⁾.

cap. 184 Utrum papa possit principes deponere et instituere.

Hic queritur, utrum papa potuerit Hyldeydem regem Franchorum regno privare et Pipinum grossum regem instituere, et videtur quod non, quia nemo mittit manum in messem alienam¹⁾. Cum ergo papa non habeat ius in regno Franchorum, non potuit de iure illum regem deponere nec alium loco ipsius substituere. In contrarium est, quod Constantinus imperator totius occidentis imperium summo pontifici contulit, ut supradictum est capitulo CVI^{a)}. Cum ergo regnum Franchorum sit in occidente, ergo papa est dominus regni Franchorum in temporalibus et spiritualibus et per consequens potest pro solo libitu imperatores et reges instituere et destituere²⁾. Circa istam questionem nos fatiemus quinque <distinctiones>: Primo ostendemus quod omnis homo mundi est subiectus pape de iure divino. Secundo quod ad papam pertinet omnem hominem corripere de peccato mortali quocumque notorio de iure divino. Tertio ponetur ordo corrigendi peccatorem. Quarto ponemus quod papa ordinem debitum servavit, quando Hyldeicum regem Franchorum de regno deposuit. Quinto ostendemus, in quibus casibus papa resumit immediatam temporalis dominii executionem. Sexto respondebimus^{b)} ad argumentum.

cap. 185 Quod papa est dominus temporalis et spiritualis.

Circa istam questionem^{a)} est sciendum, quod quando dominus Yesus Christus in celum ascendere voluit, vicarium in terra dimittere intendens ait¹⁾: 'Data est michi omnis potestas in celo et in terra.' Tunc advocans beatum Petrum apostolum dixit illi²⁾: 'Pasce oves meas, pasce agnos meos.' Iniungendo ergo beato Petro gregis pastum iniunxit pastoris id est episcopi offitium³⁾. Unde dicitur in decretis di. xxii.^{b)}⁴⁾: 'Christus beato Petro eterne vite clavigero celestis et terreni imperii iura concessit.' Et beatus Cyrillus in Libro thesaurorum⁵⁾ dicit, quod Petro apostolo iure divino omnes homines mundi capud inclinant et mundi primates obediunt et reges sicut domino Yesu Christo.

i) CXI BW k) ut W l) om. B

lenia). ^{11a)} Vgl. Mt. 26, 52. ¹²⁾ Vgl. CM cap. 365 (ed. Creyten S. 131 ad 10). ¹³⁾ Vincenz von Beauvais, Spec. hist. 29, 67 S. 1208.

¹⁴⁾ Es fehlen die Antworten auf die drei letzten argumenta von cap. 102; für diese vgl. CM cap. 363, 358 und 574.

cap. 184 a) CVIII BW b) respondebitur B

¹⁾ Vgl. C. 6 q. 3 c. 1. ²⁾ Vgl. GA cap. 108 Anm. 3.

cap. 185 a) istam questionem] primum W b) lx W, 60 B

¹⁾ Mt. 28, 18. ²⁾ Io. 21, 15—17. ³⁾ Vgl. GA cap. 67 Anm. 3.

⁴⁾ D. 22 c. 1. ⁵⁾ Vgl. Thomas von Aquin, Contra err. Graec. 2, 35 S. 343.